

sancto, non potest intrare in regnum Dei (1). Non igitur affirmari potest, fidem solam justificare, propterea quod solius fidei conditio requiratur.

Restat caput tertium, in quo maxime nituntur; fidem solam justificare, quod sola ipsa sit, quæ promissionem justificationis, sive ipsam justificationem apprehendit, applicat, et nostram esse facit. At hoc etiam facile refellitur. Primum enim fides non dicitur proprie apprehendere. Apprehensio enim cum refertur ad intellectum, est cognitio rei, prout in specie representatur et distinguitur a iudicio, quod rem apprehensam discernit et diiudicat, vera ne sit, an falsa. Illa autem cognitio apprehensiva præexigitur quidem ad fidem, sed non est ipsa proprie fides, nam etiam infideles apprehendere possunt mysteria fidei, cum tamen ea non credant. Fides igitur consistit potius in iudicio, quam in apprehensione. Qui enim iudicat, sive per scientiam, sive per fidem nihil apprehendit, sed rem apprehensam, ut dixi, appendit et discernit. Neque ideo res est vera, quia intellectus credendo, vel sciendo iudicat esse veram, sed contra ideo intellectus vere iudicat, id est, vere scit, aut vere credit, quia res est vera.

Eadem quoque est ratio fiducia, si per fidem fiduciam intelligi velint. Confidere enim non est apprehendere, sed firmiter adhærere rei apprehensæ. Nam qui se doctum esse aut fore confidit, non apprehendit doctrinam ea fiducia, neque incipit esse doctus; quia confidit se esse doctum; sed opinioni de sua doctrina conceptæ firmiter adhæret.

Sed esto, apprehendatur aliquo modo justificatio per fidem, certe non ita apprehenditur, ut re ipsa jam habeatur et inhæreat, sed solum ut sit in mente per modum objecti, actione intellectus, aut voluntatis apprehensi: at hoc modo apprehendunt etiam amor et gaudium, ut scribit S. Augustinus in libro VIII. Confess. cap. 2. Ubi de Victorino loquens: «Volebant eum, inquit, omnes rapere intro in cor suum, et rapiebant amando, et gaudento: Hæ rapiendum manus erant». Itaque si fides justificat, quia iustitiam apprehendit, dum credo aut confido, me esse iustum per Christum; ipsa etiam charitas justificat, dum diligo, et gaudeo me esse iustum per Christum. Et revera si per huiusmodi apprehensionem justifica-

remur, id tribui deberet maxime charitati, quæ omnia quantumvis aliena, facit esse nostra. Amantium enim omnia sunt communia.

Sed quid, obsecro, respondere poterunt adversarii ad applicationem justificationis, quam ipsi iidem per sacramenta fieri docent? certe Philippus et Kemnitius (ut ostendimus in primo libro de Sacramentis in genere) contendunt, Sacramenta esse quasi visibilia verba, quæ generales promissiones applicent iis, qui rite Sacramenta suscipiunt, easque speciales de generalibus esse faciunt. Quod si Sacramenta promissiones applicent, et nostras faciunt, non ergo per modum instrumenti applicantis fides sola justificat.

Et confirmatur hoc ipsum testimonio apertissimo sanctarum Scripturarum. Nam quemadmodum ad Rom. III. Apostolus scribit, Deum justificare homines per fidem; ita ad Tit. III. idem ipse scribit, Deum justificare per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti. Et sicut Actor. XV. Petrus Apostolus dicit, fide purificari a Deo corda hominum. Ita ad Ephes. V. coapostolus ejus Paulus dicit, a Deo mundari Ecclesiam lavacro aquæ in verbo vitæ.

Neque multum refert, quod Sacramenta promissionem applicant dando, fides applicat accipiendo. Nam utrumque est instrumentum Dei, non enim per Sacramenta justificat Deus, per fidem justificat homo; sed idem Deus per fidem, et per Sacramenta justificat; etsicut Sacramenta dantur a Deo, ita et fides datur a Deo. Et quoniam justificare significat actionem non passionem, magis proprie justificat Sacramentum, quod est instrumentum, et quasi manus dans iustitiam, quam fides, quæ est instrumentum, et quasi manus (ut ipsi dicunt) accipiens iustitiam. Non igitur vere dici potest, vel homo sola fide justificari, vel Deus hominem sola fide justificare, cum id ipsum et magis proprie præstent Sacramenta, quam fides.

Respondent fortasse, solam fidem, non excludere Sacramenta, sed opera. At Lutherus in lib. de Captivitate Babylonica cap. de Baptismo, et in assertionem art. 4. 2. 6. et aliorum, apertissime scribit Sacramenta non justificare, sed solam fidem. Deinde, si illud «Sola» non excludit Sacramenta, sed opera: redibitur ad primum caput, ubi jam demonstratum est, non posse excludi opera, nisi

(1) Ezech. XVIII, 24; Luc. XIII, 5; Joan. III, 3.

CAPUT XVII.

Fidem non solam justificare, probatur ex modo justificandi ipsius fidei, ubi etiam tractatur quæstio de valore et pretio fidei.

Sequitur argumentum quartum, quod petitur ex modo justificandi ipsius fidei. Nam præcipua causa, cur adversarii soli fidei justificationem attribuant, illa est, quod existiment, fidem non justificare per modum causæ, aut dignitatis, aut meriti, sed solum relative, quia videlicet credendo accipit, quod Deus promittendo offert. Nam si persuaderi possent, fidem justificare impetrando, ac promerendo, et suo quodam modo inchoando justificationem, sine dubio non negarent, id etiam dilectioni et pœnitentiæ, aliisque bonis actibus convenire.

Probemus igitur fidem veram et justificantem non esse (ut adversarii volunt) nudam ac solam apprehensionem iustitiæ, sed esse causam, et vim habere justificandi. Possunt autem argumenta omnia ad tria capita revocari. Primum ducetur ab iis testimoniis, quæ docent, fidem esse causam justificationis in genere. Alterum ab iis, quæ probant fidem inchoari iustitiam. Tertium ab iis, quæ demonstrant per fidem nos placere Deo, et impetrare, atque aliquo modo mereri justificationem.

Primum igitur prodeant ea loca, quæ significant nos justificari per fidem, aut ex fide. Rom. III: *Arbitramur hominem justificari per fidem.* Ibidem: *Unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem.* Rom. V: *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum.* Ephes. II. *Salvi facti estis per fidem* (1).

In his et similibus locis præpositionem Per, et Ex, veram causam significare probamus primo, ex contrario. Nam cum Apostolus scribit ad Rom. III. et IV. et ad Galat. II. et III. et alibi sæpe, hominem non justificari per opera, aut ex operibus; per legem, aut ex lege, sine dubio excludit efficientiam, et vim legis, et operum in justificando, non autem solam apprehensionem relativam. Nemo enim dubitare poterat, quin lex et opera non justificarent apprehendendo iustitiam relative. Ac per hoc ineptissima fuisset Apostoli sententia, si id significare vo-

excludatur etiam fides, quæ est quoddam opus.

Dicent, excludi etiam fidem, ut est opus, sed non ut instrumentum apprehendens iustitiam. At fides non est instrumentum, nisi ut opus; neque enim fides est aliquid solidum et permanens, sed actio et operatio, atque ut actio et operatio apprehendit iustitiam, si ullo modo illam apprehendit.

Dicent, vocem, «Sola», excludere opera, non ut opera, sed ut merita. Sic enim accipitur opus ad Romanos IV. ubi distinguitur fides ab opere, quod operanti non imputetur merces secundum gratiam, sed secundum debitum, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputetur fides ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei. At si ita est, non debent excludi pœnitentia, et dilectio ab actione justificandi, ut opera sunt absolute, sed solum ut opera meritoria sunt.

Dicent, pœnitentiam, dilectionem, et similia opera, excepta fide, non posse concurrere ad justificationem nisi sub ratione meriti, et ideo cum sub hac ratione excludantur, simpliciter, et absolute excludi: fidem autem præter rationem meriti, habere etiam, ut sit instrumentum apprehendens iustitiam, et ideo eam solam inter humanas actiones, non excludi simpliciter, sed tantum sub ratione meriti. Atque hoc est omnino extremum, quo potest adversariorum pervenire responsio; si Sacramenta justificare concedant.

Sed hoc ipsum facile refutatur ex ipsa natura fidei et dilectionis. Nam (ut supra ostendimus) actus fidei non est apprehensio, sed iudicium: quod si iudicium improprie apprehensionem appellare velint, cogentur vim apprehendi tribuere dilectioni meliore ratione, quam fidei. Magis enim apprehendere dicitur dilectio quam iudicium, quoniam magis unit. Quod si actum fidei justificantis non iudicium, sed confidentiam esse velint: eadem ratione dicemus, melius apprehendi rem aliquam dilectione, quam confidentia, quod magis illa, quam ista conjungat et uniat.

(1) Rom. III, 22; Rom. V, 30; Eph. II, 8.

juisset, justitiam apprehendi fide, non lege, aut operibus, quomodo inepte loqueretur, qui diceret, eleemosynam apprehendi manu, non calcaneo.

Præterea ii, quos Apostolus reprehendit, cum affirmat et probat, hominem non justificari ex lege, aut operibus, non somniabant lege, aut operibus, quasi manu apprehendi justitiam; sed existimabant, merito operum suorum, et observationis legis Mosaicæ sibi debitum fuisse adventum Christi et justificationis donum, ut perspicuum est ex ipsa epist. ad Rom. et ad Galat. inde enim cogebant pseudoapostoli gentiles ad legis observationem, ut ipsi quoque merito observationis legis pertinere possent ad Christum, et ad indulgentiam peccatorum, et ad ipsam fidei gratiam. Sic enim enarrat hæc loca S. Augustinus, tum alibi, tum præfatione in Psalm. xxxi. « Propterea, inquit, hæc dixi tibi, o homo, quia ex operibus non justificatur aliquis, ne quasi de operibus tuis præsumere videreris, et merito operum tuorum te accepisse gratiam fidei ». Vide etiam S. Augustinum in cap. 1. ad Galat. tom. 4.

Igitur cum idem Apostolus tribuit fidei, quod negat operibus et legi, dicens hominem justificari per fidem, non per legem; ex fide, non ex operibus sine dubio tribuit fidei efficientiam, et meritum aliquod respectu justificationis, quod tamen meritum; non ex nobis, sed ex Deo est, cujus donum est fides, et ideo cum fide gratiam adjungit Apostolus, dicens, nos gratis justificari per gratiam Dei, per fidem Jesu Christi, etc.

Secundo probamus ex aliis locis, ubi habetur præpositio Per, aut Ex. Nam si in omnibus aliis locis significat causam, cur non etiam causam significabit, cum dicitur homo justificari per fidem, aut ex fide? omitto loca illa, ubi dicimur justificari per Christum, per sanguinem ejus, per mortem ipsius; item ex ipso, per ipsum, et in ipso esse omnia, et alia id genus, ubi præpositionem Per, aut Ex, causam significare nemo dubitavit unquam. Illis tantum locis contentus ero, ubi de ipsa fide agitur. Igitur ad Hebræos xi. cum dicitur: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obtulerunt ora leonum, etc.* (1), particula, Per, non apprehensionem, sed veram causam significat. Non enim per fidem ap-

prehenderunt regna relative, sed re ipsa fide armati filii Israel, obtinuerunt regna Chanaan. Neque Daniel, et David, et Sampson, per fidem apprehenderunt victoriam contra leones, sed fide muniti, et implorantes auxilium Dei, bestias illas superaverunt.

In eodem capite accipit Apostolus, pro eodem aliquid fieri per fidem, aut fidem, ut omnes concedunt. Cum igitur dicit, Abel obtulisse plurimam hostiam, et Noe aptasse Arcam in salutem, et Abraham obedivisse, ut exiret in alium locum; et hæc omnia tribuit fidei; apertissime fidem facit causam. Nam Abel fide, seu per fidem obtulit plurimam hostiam, quam Cain, quoniam certo credens, Deum esse primum auctorem omnium rerum, et summo cultu adorandum, ex ea fide motus est, ut offerret id, quod optimum habebat. Itaque fides causa fuit illius pretiosæ oblationis.

Noe quoque fide, seu per fidem aptavit arcam, quoniam credens verbis Dei comminantis diluvium, timore concepto metuens aptavit arcam; ubi videmus ex fide natum esse timorem, ex timore fabricationem aræ. Proinde fidem veram causam fuisse timoris, et consequenter ipsius aræ.

Denique Abraham fide, sive per fidem obedivit exire in locum, quem nesciebat. Quoniam credens Deum omnipotentem et fidelissimum ex ea fide motus est, ut prompte obediret, etiamsi nesciret quo vocaretur. Quare fides causa fuit etiam obedientiæ; et fide obedire, nihil est aliud, nisi fidem obedientiæ esse causam. Igitur eodem modo fide justificari, vel per fidem justificari, nihil aliud erit, nisi fidem causam esse justificationis.

Alterum argumentum petitur ab iis locis, quæ testantur, fidem esse initium justitiæ, ac per hoc esse causam formalem inchoatam justificationis. Id in primis docet Apostolus ad Roman. iv. cum dicit: *Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam* (2). Ubi ipsa fides censetur esse justitia; ac per hoc non apprehendit fides justitiam Christi, sed ipsa fides in Christum est justitia. Et si quidem sit fides viva, et perfecta per charitatem, erit perfecta justitia, sin minus, erit saltem imperfecta, inchoataque justitia.

Idem probat testimonium illud, I Co-

rinth. iii: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem ædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulas, uniuscujusque opus ignis probabit* (1). Nam per fundamentum intelligit S. Augustinus in lib. de fide et operibus, cap. 16, et alibi passim, fidem in Christum. Quomodo etiam hunc locum exponunt Chrysostomus, Theophylactus et interpretes cæteri. Constat autem fundamentum in quovis ædificio partem et inchoationem ædificii esse, quod per additionem parietum et texti, perducitur ad fastigium et perfectionem.

Idem probat illud Apostoli Petri Actor. xv. *Fide purificans corda eorum* (2). Ubi fides dicitur corda purificare, quoniam liberat hominem a sordibus errorum, et falsarum opinionum de Deo, rebusque divinis. Quod quidem facit fides non tam efficienter, quam formaliter, quomodo lux intrans, pellit tenebras, cum simul morari non possint lux, et tenebræ. Porro puritas cordis quid est nisi justitia, vel inchoata vel perfecta?

Huc pertinent omnia testimonia, quæ attulimus supra cap. 13. ubi probavimus, fidem esse primam dispositionem ad justificationem. Quibus addi possunt hæc etiam testimonia Patrum.

Sanctus Ignatius in epistola ad Philippeneses: « Principium, inquit, vitæ, est fides; finis vero ejus dilectio. Ambæ autem simul junctæ, et in unitate factæ, hominem Dei perficiunt.

Clemens Alexandrinus lib. ii. Stromatum, adducens sententiam libri antiquissimi, qui dicebatur Pastoris: Præcedit, inquit, fides, timor autem ædificat, perficit autem dilectio.

Origenes in cap. iv. ad Roman. « Puto, inquit, quod prima salutis initia, et ipsa fundamenta fides est: profectus vero, et augmenta ædificii spes; perfectio autem et culmen totius ædificii charitas ».

Sanctus Ambrosius in Psalm. cxviii. serm. 20. tractans illud: « Principium verborum tuorum veritas », « Fides, inquit, principium Christiani est, plenitudo autem Christiani, justitia est ».

Sanctus Augustinus serm. 16. de verbis Apostoli: « A fide incipit homo, sed quia et dæmones credunt, necesse est addere spem

et charitatem ». Et serm. 22. item de verbis Apostoli: « Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur ». Et præfatione in Psalm. xxxi. « Magnum, inquit, opus, sed ex fide. Laudo superædificationem operis, sed video fundamentum fidei; laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem ».

Tertium argumentum, quod etiam potissimum est, sumitur ab iis locis, quæ docent, per fidem impetrari remissionem peccatorum, ac per hoc justificari hominem ex fide, non quia fides tantum respiciat promissionem, et illam credendo apprehendat, sed quia remissionem impetret, et suo quodam modo etiam mereatur, Luc. vii. *Fides tua te salvam fecit*, ait Dominus mulieri, cui dixerat, *remittuntur tibi peccata tua* (3). Non autem recte diceretur, fides salvum facere, videlicet a peccatis, hoc est, justificare, si re vera nihil faceret in ordine ad justificationem, sed tantum acciperet indulgentiam, Quis enim diceret egenti, qui solum ad eleemosynam porrigeret manum, manus tua tibi fecit eleemosynam? aut quis ægroto manu pharmacum capienti diceret, manus tua te curavit a morbo? Itaque, fides tua te salvam fecit, sine dubio magnum est encomium fidei, et non nihil, sed plane aliquid efficaciam ipsi fidei tribuit.

Confirmat autem hanc efficaciam fidei, quod Matthæi xv. legimus dictum Chananaeæ: *O mulier, magna est fides tua*. Et Marci vii. *Propter hunc sermonem vade, exiit Dæmonium a filia tua* (4). Hic enim aperte tribuitur fidei efficaciam impetrandæ sanitatis. Neque responderi debet, aliud esse loqui de justificatione, aliud de curatione morbi corporalis. Nam Dominus iisdem plane verbis tribuit fidei utramque sanitatem. Peccatrici enim dixit: *Fides tua te salvam fecit*, Luc. vii. et mulieri curatæ a fluxu sanguinis, similiter dixit: *Fides tua te salvam fecit*, Matth. ix. et cæco illuminato etiam dixit: *Fides tua te salvam fecit*, Marci x (5).

Rursus ad Roman. iv. *In repromissione*, inquit Apostolus, *non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcumque promissit Deus, potens est et facere. Ideo et reputatum est ei ad justitiam* (6). Hoc loco causam reddit Apostolus, cur fides Abraham reputata sit

(1) Heb. xi. 33. — (2) Rom. iv. 5.

(1) I Cor. iii. 11. — (2) Act. xv. 9. — (3) Luc. vii. 50. — (4) Matth. xv. 28; Mar. vii. 29. — (5) Matth. ix. 22; Mar. x. 52. — (6) Rom. iv. 20.

justitia, quoniam credendo dedit gloriam Deo. Itaque placuit Deo fides illa, per quam ipse glorificatus est, et ideo merito illius fidei, quæ tamen donum et gratia ipsius erat, Abrahamum justificavit.

Item ad Roman. x : *Omnis*, inquit Apostolus, *quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? quomodo credent sine prædicante* (1) ? Ubi beatus Paulus, sicut facit causam fidei prædicationem Verbi, ita facit causam invocationis ipsam fidem, et causam salutis, id est, justificationis, invocationem. Ex quo intelligimus fidem per invocationem, impetrare justificationem. Non igitur fides relative justificat, accipiendo videlicet oblatam justificationem, sed quærendo, pulsando, petendo, denique invocando et impetrando justificat.

Postremo (ut alia multa loca præteream) ad Hæbræos xi. multis exemplis Apostolus docet, per fidem placere homines Deo, ac per hoc fidem apud Deum magni esse pretii ac meriti. De Abele scribit, eum per fidem adhuc, quamvis defunctum, loqui. Hoc est sanguinem ejus clamare ad Deum, et vindictam impetrare ob meritum fidei ipsius. De Henoch scribit, fide translatus fuisse ne videret mortem, hoc est, merito fidei, per quam placuerat Deo placuisse autem per fidem, quia sine fide impossibile est placere Deo. Alia id genus multa in eo capite leguntur, quæ longum esset, minimeque necessarium huc adferre.

Ad hæc testimonia Scripturæ addam testimonia S. Augustini, qui constanter docet plurimis in locis, fidem impetrare et mereri remissionem peccatorum et justificationem. Ex quo intelligetur hunc sanctissimum virum, quem adversarii aliis omnibus anteponunt, longissime abfuisse ab errore Lutheranorum de fide justificante relative, sive per solam apprehensionem sine ulla sua efficacia, vel merito.

Igitur S. Augustinus lib. i. Retractat. cap. 23. approbat, quod alicubi dixerat : « Non opera, sed fides inchoat meritum ». Item in epist. 105. ad Sixtum, ante medium : « Nec ipsa, inquit, remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei. Qua fide ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori, et descendit justificatus merito fidelis

(1) Rom. X, 13.

humiliatus, quoniam qui se humiliat exaltabitur ». In epist. 106. ad Paulinum, ante medium : « Si quis dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, imo vero gratissime confitemur ». Quo loco per gratiam bene operandi justificationem intelligit : « Nam, ut ipse sæpe repetit, bona opera accedunt justificato, non præcedunt justificandum ». In epistol. 144. ad Anastasium : « Lex, inquit, adducit ad fidem, fides impetrat spiritum largiorem, diffundit spiritus charitatem, implet charitas legem ». In lib. de spiritu et littera cap. 13. « Quod factorum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat ». Et cap. 30. « Per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ ». In libro de fide et operibus cap. 21. « Violentia, inquit, fidei Spiritus sanctus impetratur, per quem diffusa charitate in cordibus nostris, lex, non timore pœnæ, sed justitiæ amore completur. » In lib. i. cont. adversarios legis et Prophetarum cap. 17. « In novo, inquit, Testamento fides impetrat charitatem ». In lib. de prædestinat. Sanctorum cap. 7. « Ex fide, inquit, ideo dicit Apostolus justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur ». Denique libro de gratia et libero arbitrio cap. 14. « Fides, inquit, et non petita conceditur, ut ei petenti alia concedatur ».

Habemus igitur ex Augustino non semel, aut iterum, sed sæpe ac sæpius repetitum, fidem impetrare justificationem, remissionem peccatorum, gratiam bene operandi, ac per hoc justificare per modum dispositionis ac meriti, non propter nudam relationem, qua justificationem aspiat vel recipiat. Vide quæ diximus in ii. lib. de pœnit. cap. 12. ubi probavimus, contritionem esse causam meritoriam justificationis, et respondimus ad objectiones, quæ contra meritum ejusmodi dispositionum fieri solent. Vide etiam solutionem argumentorum contra hoc meritum fidei cap. 21. hujus libri.

CAPUT XVIII.

Fidem non solam justificare, probatur ex causa formali justificationis et necessitate operum bonorum.

Restat argumentum postremum, quod hic solum indicandum, sed alibi perficiendum erit. Sumitur enim ex duobus principiis, quæ in libris sequentibus demonstrantur. Unum principium est, causam formalem justificationis non esse justitiam, quæ est in Christo, vel solam remissionem peccatorum; sed justitiam in nobis realiter inhaerentem, ad quam justitiam Scripturæ et Patres præcipue charitatem pertinere docent. Ex hoc principio, quod in sequenti libro tractabitur, evidenter sequitur, non solam fidem per modum dispositionis justificare. Nam justitia ista realis et inhaerens non debet apprehendi per fidem, sed infundi per gratiam.

Ad hanc autem infusionem, disponit quidem actus fidei, sed disponunt etiam actus timoris, penitentiae, aliarumque virtutum, sed præter cæteros, actus dilectionis sine dubitatione disponit. Illis enim actibus disponuntur homines ad ejusmodi gratiam recipiendam, quos Deus in Scripturis sanctis præexigit, ac prærequiri significat. Prærequiri autem secundum Scripturas actum fidei, timoris, spei, pœnitentiæ et dilectionis, supra probatum est. Neque adversarii, præsertim paulo saniores, id negant; sed interpretantur, eos actus, excepta fide, prærequiri quoad præsentiam, non quoad apprehensionem justificationis. Quare si talis ponatur justificatio, quæ non apprehensione, sed infusione obtineatur, non erit ulla causa, cur soli fidei tribuatur dispositio justificationis.

Adde, quod ipsa etiam natura nos docet, iis actibus disponi materiam ad recipiendam formam, qui sunt eorum similes, qui consequentur formam. Ligna enim per calorem disponuntur ad formam ignis concipiendam, quoniam ex igne calor procedit. Itaque ad formalem justificationem, quæ potissimum in infusione charitatis sita est, nihil magis quam dilectio, sive pœnitentia ex dilectione disponit. Neque id adversarii unquam negassent, aut de fide justificante controversiam ullam fecissent, nisi de ipsa formali justificatione novam doctrinam prius excogitassent.

Simile argumentum ducitur ex necessitate operum bonorum ad salutem; quod est alterum principium suo loco probandum. Nam si fides sola justificaret impium, certe ipsa etiam sola salvaret; non enim amitti posset justitia, quibuscumque malis operibus, nisi amitteretur fides; proinde manente fide, maneret justitia; manente autem justitia, salus quoque esset in tuto.

Neque istas consecutiones adversarii negare possunt, aut negant. Lutherus enim in lib. de Captivitate Babylonica cap. de Baptismo, disertis verbis scribit, tam esse divitem hominem Christianum, ut quibuscumque operibus, amittere salutem non possit, nisi nolit credere. Et in Colloquio Altemburgensi Ministri Saxonici Ministros Electorales, id est, Illyriciani Majoristas, sive Lutherani rigidi Lutheranos molles reprehendunt, quod distinguant inter justitiam et salutem, quasi bona opera non justificent, sed sola fides; non salvet autem fides sola, sed etiam opera. Illi vero respondent, opera quidem bona necessaria esse ad salutem, sed necessitate præsentiae, aut necessitate signi, quod videlicet fides adsit: tamen non minus salutem, quam justitiam tribui soli fidei.

Itaque argumenta omnia ex Scripturis et patribus deprompta, quibus infra suo loco probabimus, ita necessaria esse opera bona ad salutem, etiam hominibus justificatis, ut sine illis fides sola non salvet, probant etiam fidem solam non justificare, quod in præsentia susceperamus probandum.

CAPUT XIX.

Solvitur argumentum primum ex Scripturis, depromptum pro sola fide

Nunc argumenta solvenda sunt, quibus adversarii magno conatu contendunt, solam fidem justificare. Revocabimus autem testimonia Scripturæ, quæ illi proponunt ad certa capita, ut confusio evitetur.

Primum igitur argumentum sumunt ab illis testimoniis, quæ docent, hominem sine operibus justificari. Inde enim effici non dubitant, solam fidem justificare. Testimonia hæc sunt, Rom. iii : *Exclusa est gloriatio tua, per quam legem? factorum? non. Sed per legem fidei.* Et paulo post : *Arbitramur ho-*